Joanni Cottono.

Clarissimo viro d. Johanni
Cottono.

(512).

Constantinus Hugenius
a Zulichem.

S. P.

Dum te carere cogar, nobilissime Cottone, quod imprimis doleo, nihil mihi gratius accidere potuit, quam quod humanissimo epistolio dignatus sis testari non excidisse tibi memoriam hominis exteri, tantâ tuâ benevolentiâ parum digni. De Republicâ quod a me sciscitaris, mallem id quæstionis legato nostro proposuisses. Hæc illi spartha commissa est; Unius mei Principis mihi jussa capessere fas est καὶ ἔμαθον ἐν οἷς εἰμι αὐτάρκης εἶναι. Hoc testari possum, virum egregium atque diligentem id curare seriò, ut vestros homines, nescio quo fatali lethargo sopitos ac socordes evigilare tandem faciat, et hoc nobiscum doceat intelligere, quanti sit ut conjunctis viribus animisque, obviam vel eamus, vel ire si necesse sit, parati simus ambitioni Gallicæ, quam sapientissima olim Elisabetha vestra prudenter ac generosè compescuit, et secum jussit habitare. Inspirabit eosdem spiritus spero Regi et magnatibus vestris, utrique nostrum propitius Deus ἐν τῷ ἑαυτοῦ καιρῷ. Vale Vir Illustrissime ex animo commendo. Scrib. Londini $\frac{\text{XIV.}}{\text{XXIV}}$ Apr. CIƆIƆCLXXI.

Scribo erudito Lutetiâ in χειμηλια
Regi illatum esse Othonem aeneum
cum inscriptione Græca, quem
I. Bapt. Capponi Bononiensis Medicus
toto libro in eam rem composito
adstruere conatur verum et genuinum esse,
quia et in Ægypto cusum, quod teste Tacito
ac Plutarcho, ab Othone stabat. unde et
a tergo quasi simulacrum Isidis apparere.
Cæterum Latinos omnes doctioribus suspectos
esse, neque immeritò.

Ad Reverendissimum
Celsissimumque
Principem Ferdinandum
Episcopum Paderbornensem
Adjutorem Monasteriensem S.R.I. Principem
Pyrmontanum et
Baronem de
Furstenberg.

Reverendissime ac Celsissime Princeps.

(513).

Heinsium nostrum, ut hic vides, compellare statueram quo tempore beatum hospitem tuâ in Aulâ, hoc est in Elysio suo, opinabar commorari. Postquam inde abiisse nunciatum est, nolui te latere, quo genere sermonum inter nos uti solemus, quoties de te mentio est. Interesse præterea meâ sensi, scire te quam non

sustinuissem